Anno Incarnationis domini millesimo trecentesimo
duodecimo, sabbato in jejunio quatuor temporum
adventus quod fuit xix° kalendas Januarii apud Avinionem
Clemens papa quintus fecit tertiam ordinationem
novem cardinalium quos assumpsit qui fuerunt
archiepiscopus Aquensis Guillelmus de Mandagoto, episcopus
Avinionensis Jacobus de Ossa et Berengarius Biterrensis
ac Arnaldus de Auxio Pictavensis episcopi. Item frater Guillelmus
Petri de Godino Baionensis, magister in theologia, lector
curie de ordine predicatorum, et frater Vitalis de
Furno Vasatensis, magister in theologia de ordine fratrum
minorum. Item Michael de Becco Gallicus decanus
sancti Quintini. Item abbas sancti Severi Guillelmus
Testa Condomiensis.

Hic Clemens V^us sedit annis viii, mensibus x, diebus xvi a die
creationis sue usque in diem sui obitus computando. Obiit autem
in nocte precedente diem sabbati subsequentis quod fuit
xii° kalendas Maii, pontificatus sui anno nono, anno domini m°
ccc° xiiii° apud Rocham Mauram quod est castrum regis
Francie super Rodanum in finibus regni sui. Fuitque inde
reportatum corpus eius ultra Rodanum extra regnum
Francie apud Carpentoratensem civitatem ubi cardinales
cum alia curia residebant. Sequenti vero mense
augusti de Carpentoracte translatum fuit corpus eius
in Vasconiam patriam suam fuitque sepultum sicut legat
in ecclesia que appellatur beate Marie de Uzesta diocesis
Vasatensis ubi paulo prius canonicos instituerat seculares
in villula minus insigni satis sterili et equali carenti
ante sedes annis duobus vel circiter obiit.

Monsieur moysieur 5

Monsieur

BIBLIOTHÈQUE NATIONALE R.F. MSS

Fragmentarium

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, lat. 5288, 87r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-k57p/418/37094)